

LXXXII. Ut tamen quis beneficio remissionis sacramentalis gaudere possit, confessio omnium peccatorum saltem gravium quoad numerum et speciem est præscripta. Perperam etiam morem Catholicorum in aures confitendi ceu alienum a lege divina Protestantes nostri maligno dente arrodunt, eumque crudele animorum tormentum adpellant.

LXXXIII. Sacramenti huius minister est sacerdos adprobatione ac iurisdictione per reservationem non restricta munitus.

LXXXIV. Pœnitens *iustum doloris gradum* \* de peccatis commissis, *propositum* de non iterandis ac *satisfaciendi studium* adferre debet, qui actus a concilio Tridentino quasi materia huius Sacramenti vocantur.

\* Operose quæsi verunt Scholastici, qualis attritio, contritio, satisfactio in pœnitente requiratur. Nunquid eiusmodi quærere indignum est homine christiano; qui DEI Maiestatem, et dignitatem sibi congenitam ac per Christum reparatam rite æstimaverit?

LXXXV. Quoniam vero pœnitentis dispositiones ut plurimum accidentali saltem defectu laborant; recte tum a confessario *opera*  
sa-